

DE HORIS

De æquatione dierum, & diebus uulgaribus, & æquatis.

A Equationem dierum post meridiei normam Ephemeris cuiuslibet, non minus quam astronomicis tabulis pro planetarum motibus haud quaquam inutilem censemus. Sic enim exquisitius ipsorum & præsertim lunæ motus, ad horas quaslibet, & minuta ex diario adæquantur. Alius est. n. inæqualis dies, apparens, & uulgaris (à quouis ferè cœli puncto sumpto exordio) tum ob inæqualem motus Solis additionem diurnæ eiusdem lationi ab ortu, uel à meridie ad eundem cœli locum, tum ob zodiaci, atq; horizontis obliquitatem, & disparem propterea signiferi partium ascensionem, ob quæ docuerunt nos prædecessores nostri astrorum obseruatores dies omnes naturales, ut supra, inæquales perceptos, ad æqualitatem ex tabula æquationis dierum adduci. Alius ergo hic erit æqualis dies astronomico more à meridie quouis assumpto initio, ad quem planetarum motus, & tabulæ quæq; stellarum motuum exquisitissime regulantur. Alius dies æquatus ut infra. Cum namq; ex diurna, & inæquali motus Solis additione supra primi mobilis deuolutionem, plus uel minus medio, & æquali motu apparens dies excreuerit, adhibita huic ascensionali norma ad æqualitatem dies eadem per propriam tabulæ huiusce normam deueniet. Vbi uero æquatio dierum ad minuta, 33. horarum, uel propè concreuerit, mox pedetentim per diminutionem temporis ad nihilum, uel nulla redigetur. Habitis ergo diebus mensium, & horis propositis, ad quas planetarum motus adæquare desideras, cum uero loco Solis tabulam hanc æquationis dierum ingredi, quodq; ex minutis horarum in angulo communi signorum, & ueri loci Solis inueneris, hoc totum ab horis uulgaris diei, à quouis etiam meridiano acceptis (ad quas ascendens, & cætera cœli domicilia eriguntur) educes, hac demum subtractione peracta, cum reliquo horarum, & minutorum (dempta prius, uel addita meridianorum distantia) ueros planetarum motus ex diurno per propriam tabulæ exarationem, superius descriptam edisces. Quam quoniam dierum æquationem horæ quælibet in conjunctionibus, & aspectibus planetarum Ephemeris cuiuslibet ascriptæ, atq; etiam in radicibus introitus signorum singulariter acceperunt, non hac ideo æquationis norma indigent eadem prius, s. adæquatæ. Quare adhibita tantum horarum adæquatione ab uno ad alium regionis meridiem iuxta præmissæ tabulæ seriem, atq; amborum etiam meridianorum distantia ex utraq; regionum uel ciuitatum tabula inferius exponenda, ascendens, & cæterarum domorum cuspides ad horas hæc diei, æquatis scilicet institues.